

hic genus antiquom<sup>u</sup> Teucris, pulcherrima proles,  
 magnanimi heroes, nati melioribus annis,  
 Illusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor. 650  
 arma procul currusque virum miratur inanis.  
 stant terra defixae hastae, passimque soluti  
 per campum pascuntur equi. quae gratia currum  
 armorumque fuit vivis, quae cura nitentis  
 pascere equos, eadem sequitur tellure repostos. 655  
 conspicit ecce alios dextra laevaue per herbam  
 vescentis laetumque choro paeana canentis  
 inter odoratum lauri nemus, unde superne  
 plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.  
 hic manus ob patriam pugnando volnera passi, 660  
 quique sacerdotes casti, dum vita manebat,  
 quique pii vates et Phoebos digna locuti,  
 inventas aut qui vitam excoluere per artis,  
 quique sui memores aliquos fecere merendo:  
 omnibus his nivea cinguntur tempora vitta. 665  
 quos circumfusus sic est adfata Sibylla,  
 Musaeum ante omnis — medium nam plurima turba  
 hunc habet atque umeris exstantem suspicit altis —  
 'dicite felices animae, tuque optime vates,  
 quae regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo 670  
 venimus et magnos Erebi tranavimus amnis.'  
 atque huic responsum paucis ita reddidit heros:  
 'nulli certa domus; lucis habitamus opacis  
 riparumque toros et prata recentia rivis  
 incolimus. sed vos, si fert ita corde voluntas, 675  
 hoc superate iugum, et facili iam tramite sistam.'  
 dixit et ante tulit gressum camposque nitentis.  
 desuper ostentat; dehinc summa cacumina linqunt.  
 At pater Anchises penitus convalle virenti  
 inclusas animas superumque ad lumen ituras 680  
 lustrabat studio recolens, omnemque suorum  
 forte recensebat numerum, carosque nepotes,  
 fataque fortunasque virum, moresque manusque.  
 isque ubi tendentem adversum per gramina vidit